Bibliothèque numérique

medic@

Delarbre, Jean-Claude - candidat / Laurenceau, Pierre de - président. - An ab oculis Fascinatio ?

1678.
Paris
Cote : ms 79 n°1320

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x08x1320

1320

Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 24. Novembris.

M. PETRO DE LAURENCEAU, Doctore Medico, Præſide.

An ab oculis Faſcinatio?

UNIVERSUM hunc orbem diceres animal ſuis partibus inſtructum, quarum aliæ proprio ſibi munere, illæ communi officio ſibi & aliis proſpiciant. Ut ſe habet unaquæque pars corporis humani ad cæteras partes, ita & homo ad mundum univerſum, qui parem habet cum cæteris ejus partibus ſympathiam, ſpiramen, conſenſum. Utriuſque conſenſûs miniſter ſpiritus eſt per cuncta rerum meabilis, æthereus, qui magno ſe corpore miſcet, qui cuncta trahit, retrahitque, totoque facit commercia mundo. Hoc quaſi vinculo nectitur corpus humanum cum cæteris, cum lapidibus exiſtit, vivit cum plantis, & cum animalibus ſentit, illius ope fœdus aut bellum init cum illis, illius adminiculo ſubſtantiæ omnes gaudent ſimilibus, diſſimilibus læduntur, jecur jecore, corde cor, cerebrum cerebro recreatur, ægris oculis afficitur oculus, & tabidi pulmonis eadem labes imminet alteri. Ubique ſunt juvantis vel noxiæ tranſitionis argumenta. Verum ſi qua pars pro ſua indole bona largiatur vel mala, recenſeas Oculum: hic non ſolum ſol microcoſmi dicitur per analogiam ad ſolem majoris mundi, ſed ut imbres roridos ſol non ſemper elevat, ſed ſæpius de theſauris altiſſimis eruit procellarum impetus, coruſcationes, & humanas motura tonitrua mentes, Oculus pariter non ubique amorem & gratiam ſpargit aut gaudium, imo tot ab eo prorumpunt proceloſi affectus, tot inſidiæ, ut merito clamet ſapientiſſimus [illegible], memento quoniam malus eſt Oculus nequam, Oculo nequius quid creatum eſt?

SUBLUNARIS effluvius corporum in corpora, modi quamplures occurrunt quos inveſtigare menti humanæ arduum: occultâ enim proprietate quæ agunt naturæ arcanis ita ſunt proxima, ut multa ſæpius ex eventu innoteſcant, quorum primordia ſummo niſi labore & ſtudio concipi nequeunt. Id ſolum conſtat ex ordine ſolito rerum, difficilia & rara, ideo multis credi [illegible] & falſa, quia communi & tritâ per qualitates elementorum viâ contenti, ſubſtantiarum diſſidia & amicitias norunt minime, & nunquam excelſioribus ſcientiis inſudarunt. Intacto ſtomacho cantharides veſicam exulcerant, lepore marino ſolus pulmo contabeſcit, mirantur quidem multi, latentes hujus prodigij cauſas inquirunt pauci. Natura ludit in operibus aut facit, ibi amantiſſima parens, illic triſtior noverca; ſic videre eſt aliquando toto quaſi ſopitos orbe morbos ſe non prodere, mox velut agmine facto graſſari per urbes, per rura, omnibus ſævire plagis, in homines, in belluas, in plantas. Omnes tamen non corruunt, quorum conſtitutio adamantina externis aut internis non facile cedit injuriis. Infelices vero male nati infauſto ſyderum afflatu, aut à parentibus labe contactâ, non ſolum plerisque ærumnis patent, ſed & aliis graves, inferunt morbos, contagiis, faſcinis, viſu, halitu, voce, tranſpiratu, & aliis ſecretionibus modis quibus ſæpe vicina corpora petuntur, nec infrequenter remota. Anima ſuo quaſi jure orbata, ſubjicitur turbato corpori & externo ſpiritui univerſali, corporeis vexata malis inficitur, languet, tremit, viſu potiſſimum quo moveri maxime conſtat, viſis enim variè concutitur, & ut oculus eſt in amore ſpeculum cordis, ita in meditatione eſt ſpeculum mentis.

NIHIL in utroque mundo divini Opificis ita deſignat excellentiam ac oculorum fabrica, & ut nihil omnium digniſſimo deſit organo, illud in ſuprema ſtatuit corporis parte tanquam in ſpecula, in antro reconditum incolumitatis gratiâ, oſſibus tanquam muris vallatum, tectumque palpebris ad ſecuritatem. Nervos à cerebro, venas ab hepate, à corde arterias, humores inſuper, membranas, & cætera ſuæ dignitati obtinuit ornamenta, nec tamen carent incommodis tot munera, pelle etenim negatâ non levia ſuſcipit, confert etiam damna. Ventus, fumi, lux, aëris conditiones, corporum inquinamenta vim inferunt oculis, qui patent cunctis radiis objecta quæque ferunt ſibi excipiendæ idonea: diſtantes enim non æque movent ac vicinos, imo ut uva remota livoribus putrentis uvæ non ita patet, immune ſic magis vel minus erit corpus, prout à lædente oculo, ſpatio ſeparatur, aut ſua vicinitate [illegible]. Rarum inde pueros, mulieres, infirmos, agnos ſi Virgilio, familiares ſi experimento credimus, lippitudine & faſcino crebrius tentari. Faſcinationem ſæpè occurrere Theologia ſtatuit, Philoſophia teſtatur, eventus probant. Duplex autem cum ſit, magicâ hic prætermiſſâ, naturalis ubique ſuæ noxiæ tranſitionis notas inurit, quam ſi antipathiam in rebus vocas, proxime naturam attigiſti, ſi peſtilentem morbum, ab ea recedis; in hoc enim malum idem ſpecie tranſmittitur, in faſcino diverſum; contagionis actio univoca, in faſcino heterogenea qua communicatur morbus quo faſcinans non inquinatur. Illud habet faſcinatio cum antipathia commune quod uterque affectus non fiat ſine ſubſtantiarum diſſidio, diſcrepant vero quod antipathia fit ſolum à natura lædentis, faſcinatio ab intentione faſcinantis.

FASCINATIO fit per corpuſculorum effluvium à perverſa voluntate ſenſus cujuſdam interventu, maxime viſus excitatum. Sunt quandoque in homine, ut & cæteris animalibus partes ad quas quidquid ineſt veneni appellit, ne quid uſquam mali eſſet quod in corpore non eſſet. Multos experientia probavit dentibus lethales, alios halitu, ſudores quorumdam exitioſos, contactum, viſum, qui cum eundem morbum quo læditur oculus profert, contagium eſt, dum fortuito movet, inſpectos, antipathia, faſcinum vero ſi homo ſciens & volens ſuo obtutu reus viſum percellit. Hæderæ viciniâ vitis areſcat, orobus orobanches, ſtupet piſcatoris manus appenſi hamo torpedine, piſciculo ſiſtantur navigia, magnes alterâ ſui parte ferrum repellat, alterâ trahat, inſpecta catablephæ homo corruat, obmuteſcat ad repentinum lupini oculi ſplendorem, ad viſum milui pullus manui ſubjaceat, ut & agnus preſente lupo: hæc naturæ ſunt contrariæ, & diſſimilis naturæ ſigna, minime vero faſcini, hic mirari ſubit potius quam legere conſenſus rerum & diſſenſus nobis eſſe occultos ut ſæpius, quos enim videmus odore rei cujuſdam quaſi ſepultæ deficientes, quos antipathici cujuſdam objecti figurâ quaſi exanimes, nihil eſt in rerum natura quod quadam proprietate non vigeat: quæ omnia ſi amantibus, invidis, iratis, innoteſcerent, quiſque pro ſua libidine nihil intactum relinqueret, nihil ſua probitate foret ſecurum, nihil denique quolibet grad[illegible], aut habitu etiam athletico invictum. A faſcinando nomen duxit metaphoricum, faſcinatus enim quaſi inermis, & ligatus, perniciem tranſmiſſam excipit, dolet & nullo veluti propugnaculo vallatus extinguitur; ſiccine tot odiis humana ſubjicitur [illegible]?

OBMISSIS igitur quas credula nimis vetuſtas admiſit puerilibus hiſtoriis, figmentiſque omnibus quibus vetulæ quædam (veneficæ potius ſi ita id fuerit, quam artis magicæ, peritæ) ferebantur adire domos, corpora infantium venenato viſu lædere, effaſcinare & ad extremam maciem deducere, licet graviſſimi authores ita ſentire viſi ſint, ſtrigarum tamen opinio [illegible], nec unquam fuiſſe aut ſaltem, non amplius eſſe ſtrigas, noctu oberrantes, merito decernendum in hiſce regionibus potiſſimum in quibus aſſidua ubique noſtræ reparationis ſigna ſuperſtitioſos metus, phantaſmata quælibet, larvas, incubos, lemures, & alia hujuſce generis ejecerunt dæmonia: non ita agimus cum gente illa Tibiorum qui non ſolum viſu, ſed etiam animâ pueros inficiebant. Talia poterant Triballi & Illyrij viſu effaſcinantes quos diutius intuerentur irati: eadem & majora inferebat familia in Africa, cujus obtutu peſſimo emoriebantur animalia: hanc faſcinationis viam noverat optime divinus ille Plato, qui parentes iratos in ſua Republica cenſet ab intuitu puerorum. Faſcinantium Oculi intenti in aliquem radiorum ſuorum aculeos in adſtantis Oculos jaculantur, & cum aculeis iſtis qui ſpirituum ſunt vehicula, ſanguineum vaporem quem ſpiritum nuncupamus intendunt, hinc virulentus aculeus tranſverberat Oculos, eumque à percutientis corde mittatur, hominis percuſſi præcordia, quaſi regionem propriam repetit: à corde peregrinus hic ſanguis à ſaucij hominis natura quodammodo alienus, illius ſanguinem inficit, ſic corruptio invaleſcit in partes; ſic macies, languor, hypochimiæ frequentes emergunt; ſic ſæpius ars incaſſum exercetur, cum nulla occultis rerum proprietatibus, niſi itidem occulta adhibeantur præſidia.

Ergo ab oculis Faſcinatio.

F.H.P.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Claudius Guerin.	*M. Ludovicus Morin.*	*M. Franciſcus Landrieu.*
M. Paulus Mattot.	*M. Petrus Lombard.*	*M. Joannes-Anthonius Bourgaud.*
M. Carolus le Long.	*M. Philippus Matbon.*	*M. Joannes de Bourges.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-CLAUDIUS DELARBRE, Laudunæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1678.